QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Iovis decima-quarta Novembris.

M. URBANO LEAULTE', Doctore Medico, Præſide.

An Hoſpitis Animi Mores ab Hoſpitii ſtructura?

I.

TANDIU cunctis animantibus vivere datum eſt, quandiu & operari; vitam proinde quam oſcitanter nimis videtur expreſſiſſe otioſa illa Philoſophi διαμονὴ, Galenus commodiùs definivit per ἐνέργειαν τῆς ψυχῆς. Cujus omnibus genus idem, Idea non una, non una dignitas, facultas non una, non unum organum. Ideam natura, dignitatem ortus, ἐντελέχεια facultatem, organum opus diſcriminat. Natura alia in materia è materia ideo corruptibilis; alia in materia non à materia, à cœlo non ab elemento, non furto Promethei in corpore, ſed authoris munere in ſtatione ad imperium collocata. Inde parte ſui ſequiore terræ filius homo ob inquilinum furem mortalis, meliore aſtris imminet. Illinc appetitus perturbationum architectos contrahit, hinc eorum magiſter, vindex & cenſor mente & ratione delet illum qui in brutis pleno jure patet corporis animæque ex mutuis affectionibus ἐνχρωματισμόν. Hinc bene vel male agendi ſibi aperit carceres ad faſces & inſignia magiſtratus integrâ libertate. In oculis igitur & vultu condi animam ne exiſtimes, Domicilium non ipſi corpus eſt, ſed hoſpitium, nec ſocius itineris, at ſervus, non ut in vaſe liquor, totum in partibus, in navi nauta, ſic ipſa in corpore, vehat illa licet, id vehatur, ſed ἀυλοκίνητος ſenſuum ſtipata ſatellitio ſentit nec ſentitur, motuſque expers corpus inaſpectabilis agitat. Suæ nihilominus pertæſa καθόδου, ἄνοδον meditatura vilis hujus ſarcinæ lacinias pauperiſque tugurij velat rudera, dum inſitos perturbationum obmurmurantium impetus naturali herilique ſimul jure moderatur.

II.

QUID, amabo, antiquius habet forma viventis, quàm ut paratum vitæ muniis exercendis ſecundùm temperiem & conformationem corpus in-

veniat, quod ideò ætherea dignum particula adeò affabrè delineavit nostri opifex, ut simili modo cæteris dissimile descripserit, ita ejus dotes ferè ultra communis naturæ leges laxavit. Vim quippe formatricem si calori spiritusque qui in semine residet, temperamento, tanquam causæ principi, assignes, toto erras cœlo, Divinioris plastæ hæc sunt instrumenta, totam ad venturi Hospitis gratiam mancipium curiosiùs adornantis artificio planè singulari. Viden quot unius materiæ artes, quot in una circumscriptione opera, omnia perpulchra, commensurata, omnia tamen ἐν διαφορᾷ: quorum non alij artifices quàm genituræ ab utroque parente derivatæ expressi in naturæ similitudinem, motus vitales. Semen enim vitam habere, tam alienum est à naturæ instituto ordine, quàm ab ejus idoneo & justò interprete. Una modò pensi est ἐνέργεια πρὸς διοργάνωσιν quam nonnisi invitè aberratura irrequieto motu insita usque promovet animæ parentum tradux & vicaria facultas formatrix: Partium singularum illa typum, quem non invenit, delineat, absoluit & refert; non fortuitò, sed consultò κατὰ τὴν συμμέλειαν omnium in publica commoda κατὰ μέρος cujusque in privatâ exquisitâ varietate multiplex. Neque hominem αὐτόματον sine scelere dixeris. Totum quod miraris in corpore æternitatem affectantis apparatus, licet caduci, ad σύγκρισιν & διάκρισιν unicum ortus est interitusque vestibulum, à quo nec deflexit temperatus licet fictusque in vitæ modum Elementi calor; qui nobis insitus ἀρχέγονος vitam beat, ac protollit, spiritu humoreque primigenio undique perfusus ne ignesceret; vitalemve fundum maturiùs diffunditaret; hæc enim illum ab indole sors manet, quod vitale ejusmodi principium, perenni obnoxium effluvio, in temperamenti insiti nulla reparabilem arte ruinam sensim inclinet; quia nec par, nec tantum potis est reponere, hinc μοῖρα illa πεπρωμένη iniquiore conditione redhibet.

III.

MORES in unum hominem cadunt, quia ἐν τῷ λογιστικῷ statuuntur, ideoque non sine injuria ercìscundi cum brutis, quibus pro moribus est nisus ille naturalis ἐν τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, ad naturæ legem quâ tota feruntur, πρὸς ἀνάγκην circumscriptus. Non à cœlo insitivi Mores, non à solo, non à temperamento, non Patrum abeunt in natos cum semine, at usu, vitæ institutis, assuetudine, dessuetudine, & quod caput est νόμῳ προσγενομένῳ docentur & fiunt, non congeniti sed συναυξέες. Nihil itaque mirum esse debet cur eodem sub sidere & simili satu Mores hominum tam dissimiles contingant, nil quippe homini intercedit commune cum plantis ad indolem, has siquidem non ubique alit terra, sed pro loci genio & natura illic restibili fœcunditate parens amabilis luxuriat, hìc infami sterilitate deturpatur, spemque omnem & animum frangit olitoris, nescitue ullis unquam artibus novercale imperium deponere. Non sic ex formula natura respondet mortalium, neque ad præscriptum mores sequuntur, quos expectari potiùs, quàm nasci decet in auctiorem certioremque vindictam nostræ libertatis. Hederam Ægyptus non agnoscit, suos interim habuit & ipsa Boeotia sapientes & Heroas, Pindaros, Corinnas, Hesiodos, Pelopidas, Epaminondas, plures habitura, nisi aliis artibus totum animum dedisset. Tantum quippe in moribus numerandum, quantum quisque promoverit: magna sane eorum ignavia, qui virtutem ipsam veluti receptam à Majoribus adhucque in

cunis vagientem ab annis robustioribus oscitantes expectant. Quandiu non sumus natura nos regit, & in quemcunque casum nos mittit, tunc solum æstimandi cum nostri: inde siquidem optanda morum virtutumque fœlicitas est, quæ cum arbitrio nostro constent non à parentibus adoptione in nos transeunt, turpi argumento & remedio propriæ sterilitatis, sed in ampliorem concessi nobis imperii testificationem extra nos quæruntur.

IV.

SI cui unquam plenum ingenij pectus natum est, non mehercule Hospitij structura, vultus aut color asserit posteros in decora majorum, certiores sibi habet animorum natura vindicias. Mores alius non de parente; sed de nutrice trahit, non de cunabulis, sed de legibus: alius consuetudine familiarium imitatione sibi facit, alium informant præcepta & instituta vitæ. Neque unius loci inquilini, sed per omnes terrarum tractus ad quemlibet cœli vultum, imò & per totam cujusque vitam varij & incerti peregrinantur fortunæ comites non naturæ. Patent revera cujus omnes οἰστρώδεις humilioris animæ cupiditates motusque irascibilis potentiæ, reliquis animantibus apertiores, in quibus ut sine Doctore fiunt, ita & docentur; sed in homine licet αὐτοδίδακτοι, penitiùs tamen reconditi suspensis adeò non secus ac larvæ ambulant vestigiis, ut etiam artificiosâ conjecturâ vix tum veniant in apertum cum fiunt. Verum quò hæ motiones ἐμπαθέστεραι magis conspicuæ, eò obscuriores illæ, quæ in μετεωπαιδείᾳ incerto deerrant lare, vel astant animæ principi; uti magna nostri pars ingenium, Docilitas, Mansuetudo, Ira, Lætitia, Metus, Amor, Odium, Invidia, ejusque proles, ἐπιχαιρεκακία, Verecundia, Spes, Fortitudo; Magnanimitas, Pietas, Justitia, Temperantia, Liberalitas, cæterique habitus disciplinarum & artium, hisve contrarij, qui ad arbitrium & electionem nati naturæ haud agnoscunt jura, neque corpori aut definitis partibus mancipantur, sed toti debentur animo, à quibus mores boni à bonis, à vitiosis vitiosi: Hinc prima morum cunabula, hinc elementa virtutis. Quod cum ita sit satis proditur vanitas Physiognomi veluti descriptos in partium typo mores curiosiùs relegentis, debiliorive analogismo ad bruta formantis, aut ab alio devehentis axe, injuriosâ nimium in optimam rerum omnium parentem audaciâ divinandi.

V.

SCELERI proxima semper visa est eorum sententia qui ad infamiam alios, alios ad gloriam, nihil tale adhuc cogitantes, in ipso ortu destinari simul & trahi voluerunt; quin imo nasci nobiscum vitia & virtutes, quæ si ita, alienum bonum aut malum forent: non minus haberet iniquitatis apud legum latores commendatio virtutum, quàm reprehensio vitiorum, nec ex æquo in illis aliquid præmio, his supplicio relinqueretur. Accedit ampliùs quod magna regni nostri pars dissimulatio fucum sæpe sæpiùs faciat Physiognomo hariolanti, & Astronomo suas astris οἰκοδεσποτίας affingenti. Novit bene magna consilia vultus tegere, animo perfidiosus & subdolus, apud Tacitum Publius Ægnatius stoico tamen vultu, ore & habitu ad imaginem honesti composito, turpem avaritiam & nefarias libidines occultabat. Licinius Mutianus luxuriâ, industriâ, comitate, arrogantiâ, malis bonisque artibus mixtus erat, nimiæ voluptates cum vacaret, quoties expedierat Magnæ virtutes, adeò suus erat,

cùm esset nullius. Vultum non animum mutabat pro libito Terentianus servus moribus, æquè cereis. Turpi Æsopus aspectu, Socrates, Plotinus, utrisque Epictetus turpior, vasto & servili corpore Plato, ἰσχνοσκέλης oculis exiguis Aristoteles; venustâ Domitianus formâ, Commodus, Diadumenus, Helena, Faustina, curvis hi, rectis illi, & heroïcis moribus. Non ut pedibus, sic mente vari, valgi, compernes, vel qui cubito, naso, spina γαλιάγκωνες, grandibus superciliis Silones, gibberi, regibberi, vicissim alterutri balatrones, Heroes. Qualem enim putas intus habitare animum, cum extra imago tam fœda est, ecce truncas inhonesto vulnere nares fortior Zopyrus, quàm integer, & Scævola Mutio, Callisthenes in cavea quàm in aula, in Nicrocreontis pila commolitus quàm in Democriti schola otiosus Anaxarchus: his nempe omnibus per detritas pannosasque corporis exuvias melior genius virtutis Morumque vena sincerior puriorque, sic tum patebat fluebatque. Verbo absolvam Mores fiunt, non generantur.

Non ergo Hospitis Animi Mores ab Hospitij structura.

Domini Doctores disputaturi.

M. Franciscus Vezou.	*M. Claudius Biendisant.*	*M. Alexander Michaël Denyau Professor Regius.*
M. Claudius Puylon Academiæ Censor.	*M. Dominicus de Farcy Pharmaciæ Professor.*	*M. Claudius de Frades.*
M. Claudius Berger.	*M. Henricus Mahieu.*	*M. Ægydius le Bel Serenissimæ Aurelianensium Ducissæ Medicus Primarius.*

Proponebat Lutetiæ AMANDUS DOUTE', Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.

PARISIIS,
Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.